



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

40. An si v. g. Petrus ante confessionem consulat virum doctum in ordine  
ad confessionem faciendam, non cum illo, sed cum alio, teneatur dictus  
Consiliarius ad Sigillum? Et docetur, quod si pœnitens ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



tum penitentis ex confessione inchoatiue sacramentali, quia etiam vt directa ad ipsum interpretem est inchoatiue sacramentalis, quia medio ipso & per ipsum fit, & dirigitur ad Confessarium, & subicitur clauibus, ac proinde reuelando peccatum irrogat iniuriam confessioni inchoatiue sacramentali, ex qua illud cognouit. Hac omnia Hurtado Complut.

3. Deinde cum hoc sacramentum sit maximae necessitatis, quod tamen interdum aliter quam per interpretem ngn potest institui penitentes maximum grauiam sentirent, si interpres non teneretur legibus sigilli, & id cederet in maximam ipsius sacramenti iniuriam, quod hac ratione redderetur odiosum. Ex his patet responsio ad primum argumentum. Ad secundum quoddam confessio per interpretem non est necessaria, non valet, quia peccata venialia non sunt necessaria, & tamen tenetur ea Sacerdos serpare sub sigillo. Vnde Ochagauia ubi supra, inchoitur contra Coninch de Sacram. disp. 9. dub. 3. assentent eos, qui sponte a penitentia, & sine necessitate adhibentur ad audienda peccata non obligari sigillo.

RESOL. XL.

An si v.g. Petrus consulat ante confessionem virum doctum in ordine ad confessionem faciendam non cum illo, sed cum alio, teneatur dictus Confiliarius ad Sigillum?

Et docetur, quod si penitens virum doctum consulat, vt sciat, quomodo se preparare debeat ad confessionem, non teneri virum doctum manifestare Praelato etiam sub excommunicatione praecipiat.

Ex qua curia deducitur, quod quando obligatio regendi est tantum secreti naturalis, & non Sigilli sacramentalis, tenebitur Confessarius manifestare sub excommunicatione rem sibi reuelatam, &c. Ex part. 5. tr. 1. Ref. 44.

§. 1. Negatiue respondet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 3. sect. 4. num. 6. & sect. 2. num. 4. & Henriquez lib. 3. cap. 2. num. 4. & Aragon in 2. 2. 9. 3. 3. art. 7. & alij, assentes talem Confiliarium non teneri ad sigillum, sed ad secretum naturale, quia illa reuelatio non ex confessione, nec per confessionem fit, neque in eo casu confiliarius talis participat calum clauium, cum non ex confessione, neque per confessionem, sed ante confessionem sciat peccata manifestata; vnde est diuersa ratio inter hunc casum, & illum, in quo consilium petitur ab aliquo viro docto post confessionem factam.

2. Sed non desunt Doctores contrariam sententiam tenentes, & illam tenent Martinus Fornarius in instr. Confess. lib. 1. tract. 1. cap. 3. nu. 13. & Fagundez pr. 2. lib. 6. cap. 6. num. 23. vbi citat Nauarr. & rationes adducit pro hac firmanda sententia, cui ego libenter adhaereo, fauet enim magis sacramento Confessionis, & non retrahit homines ab illo, imo trahit. Vnde opinio Suarez odiosum facit Sacramentum, nam, vt optime contra illum obseruat Fagundez, quamuis huiusmodi Confiliarius nec ex confessione, nec per confessionem peccata sciat, scit tamen in ordine ad confessionem, & modo aliquo participat vsum clauis scientiae quatenus dirigit penitentem ad Sacramentum, quae quidem directio quamuis penitenti, fiat, suapte tamen natura tenet se ex parte Confessoris, & ad illum pertinet quatenus director facit id, quod deberat facere ipse Confessarius, si doctus ac prudens esset.

3. Ex his recte Medina lib. 1. c. 14. §. 36. ad finem

docuit, quod si penitens virum doctum consulat, vt sciat quomodo se preparare debeat ad confessionem, non teneri virum doctum manifestare Praelato, etiam si sub excommunicatione praecipiat, quia est via ad confessionem, quod est dicere teneri ad sigillum confessionis, nam si obligatio tegendi esset tantum secreti naturalis, & non sigilli sacramentalis, tenebitur Confiliarius manifestare sub excommunicatione rem sibi reuelatam, secretum enim naturale non obligat cum damno alicuius, quando autem Praelatus praecipit sub excommunicatione, vt sibi res reueletur, ideo praecipit, quia damnum affert, sibi, vel aliis.

RESOL. XLI.

An, cui reuelata est iniuste confessio a Confessario, teneatur celare illa peccata manifestata sub sigillo? Et an omnes alij, qui ab isto, qui a Sacerdote audiuit, audierunt, & alij ab istis, & isti ab aliis; siue mediate, siue immediate; siue licite, siue illicite audierunt, omnes teneantur ad Sigillum confessionis? Ex part. 5. tr. 1. Ref. 7.

§. 1. EX Medina respondet negatiue Onuphr. Opusc. de sigillo, sect. 3. q. vn. dub. 6. docet enim eum, cui iniuste titulo reuelatur aliquid ex confessione, non teneri ad illud celandum, nisi secreto naturali, quia illa cognitio, quam habet is, cui iniuste facta est reuelatio, non est per se, & immediate ex confessione sacramentali, sed omnino extra Sacramentum. ergo non potest obligare nisi ad secretum naturale, non ad sacramentale, quod solum pendet ex confessione sacramentali.

2. Sed prolixius contrariam sententiam tenendam esse puto cum Maldero tr. de sigillo, c. 13. Fagundez pr. 2. lib. 6. c. 6. n. 26. Suarez in 3. p. tom. 4. d. sp. 3. 3. sect. 4. num. 6. & sect. 5. num. 8. Toledo lib. 3. cap. 16. n. 13. Piti-giano in 4. sent. tom. 2. dist. 21. q. 2. vt. 5. Turriano de penit. disp. 33. dub. 1. Valboa de Mogrouiejo tom. 2. lect. Salmar. in cap. omnis viri, & de penit. & remission. num. 67. Maratus in D. Thomam, tom. 3. tr. de sacram. Penit. disp. 32. sect. 2. n. 2. Marchantio in resol. Pastor. de sacram. Penit. tract. 5. cap. 5. q. 3. & Ochagauia de sac. tr. 3. de sigillo, q. 2. n. 2. vbi sic ait: Si Confessor inique reuelet alteri confessionem, omnis ille, qui audit, & omnis ille, qui habet notitiam comparatam ex confessione, mediate, vel immediate tenetur sigillo, quia notitia confessionis transit ad omnes cum onere sigilli, ne iniuria fiat Sacramento, & ne molesta reddatur confessio. Ita ille qui citat Syluester. & Nauarr. nec aliter sentiendum esse puto: vnde recte Fagundez ex supradictis Doctoribus ubi supra, etiam asserit: Omnes alij qui ab isto, qui a Sacerdote audiuit, audierunt, & alij ab istis, & isti ab aliis tenentur ad sigillum, iuxta allegatos Doctores. Quamobrem recte colligunt hanc vniuersalem & certam regulam, omnem notitiam comparatam ex confessione vt sic, siue mediate, siue immediate, siue licite, siue illicite comparata sit, manere sub sigillo sacramentali nam sicut Confessarius non habebat ius reuelandi, nec illi qui confessionem audierunt, ius audiendi, ita non possunt illud iuste ad alios transferre.

RESOL. XLII.

An qui inuenit chartam, in qua scripta erant alicuius peccata, teneatur illa abscondere sub Sigillo confessionis, siue iam confessio facta sit, siue adhuc facienda sit?

Et

Sup. hoc sup; in Ref. 33. §. vlt. v. Quinto cum.

Sup hoc sup; in Ref. 37. §. vlt. à fin. c. v. si con todo, & in fine Re. solut. 38.